

ibidem adesse confirmaretur; ipse magna Nobilium comitatus caterva adiit dictum Monasterium, & ipsum summum Pontificem maximo honore suscepit, atque ad ipsius D<sup>ni</sup> Ducis Palatium adduxit, præstitaque fide ipsi summo Pontifici ab eodem Clariss.<sup>o</sup> Principe, ob reverentiam S. Sedis Ap. de eo conservando; pace primo res componere cum ipso Imperatore, si qua posset, ea vero si negaretur, ferro occurrere statuit; maxime quia Magnanimi Principis, Venetique populi dignitati visum est ante omnia de pace agere, missisque Oratoribus ad Federicum Barbarossa Imp:<sup>m</sup> ad eam, si possent, obtinendam; quia humanum videbatur pacem nihil præsertim nocuenti habituram offerre, servata semper libertate S. Matris Ecclesia, ac dicti summi Pontificis Alexandri tertii dignitate. Federicus Imp. in sua tamen persistens feritate longe sprevit pacem, Oratoresque vatuos remisit dicens: Si Dux vester, ac populus Venetus non tradiderit in manus meas Alexandrum Papam tertium tamquam nostri rebellem, uti de publicis hostibus sumemus de ipsis vindictam. Quibus auditis, fortissim. Dux prius consolatus est ipsum summum Pontificem promittens eum defendere ac conservare. Parata igitur Classe triginta galearum, quam citius fieri potuit, Ottoni Imperatoris filio confestim obviam egressus est, qui plusquam septuaginta triremibus pugnaturus advenerat.

942) Sed cum diu acerrime inter se pugnatum esset, Deo favente Dux clariss.<sup>o</sup> & Veneti, superato hoste, victores rediere, complures secum captivos adducentes, & in primis Ottonem dicti Federici Barbarossa filium classis ductorem, quem potentissimus Prin-